

moneat futurum tempus exigenda rationis. O quam vile esset regis ministris, si ante oculos haberent tempus reddenda rationis: Accidit ut peccarent duo Eunuchi, Pincerna regis Egypti, & pistor Domino suo. Gen. 40. n. 1. Peccarunt tamquam infideles ministri bona regis in proprium emolumentum distrahendo, ut multi tradunt, cum autem tempus rationis (de quo erant obliti) adfuit, inuerti sunt delinquentes, & inde mittuntur in carcerem, ut puniantur.

Gen. 40.

43.

Questio tamen principaliter inquit, cur ipse Dominus veniat ad exigendam rationem: Venit Dominus seruum illorum, & posuit rationem cum eis. Cum tamen ad exprobranda beneficia a Deo accepta populo Israelitico vnus mittitur Angelus: Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum stentium, & ait: eduxi vos de Egypto, & introduxi vos in terram, &c. Et nolistis audire vocem meam, cur hoc fecistis? Iudic. 2. n. 1. & 2. Ad Israellem mittitur Angelus, ut ab eo quaerat cur post tanta beneficia accepta, tot mala contra Deum perpetraverint. Cur hoc fecistis? At verò in presenti, ut de talentis datis rationem exigat. Ipsemet Dominus aduenit, ut rationem ponat cum seruis suis.

Iudic. 2. Ratio diffinita.

44.

Respondeo. Quod bona populo Israelitico facta à Deo, de Dei bonis erant, sed de illis bonis, quae reputantur extrinseca & exteriora, qualia ex tabant Manna, aqua educta de petra in deserto, columna ignis per noctem, transitus maris rubi, & egressus de Egypto, ac similia. Et cum essent dona externa, eorum census facile creaturis committitur. At beneficia Iesus in nos collata, proueniunt à bonis propriis, ac intrinsecis ipsius Dei, non ab alio, quam ab ipsomet Iesu exiguntur. Eusebius Gallicanus homil. 2. de Symbolo. Ipsa necessitas viuendi, ait, ingentem contestatur sollicitudinem iudicari per se desinit exigere, quod de se dedit. Tam magna, & superexcellens sunt dona, quae ab ipsa substantia intrinseca Dei proueniunt, ut non ab alio, nisi ab ipsomet Deo exquiri possunt.

Dona quae Deum continent tam magna, ut solum à Deo valeant reuocari. Euseb.

45.

1. Cor. 11.

Ait Paulus 1. Cor. 11. n. 27. Quicumque manducauerit panem hunc, vel calicem Domini indigne: reus erit corporis, & sanguinis Domini. Quid significat iudicium sibi manducate? Cur & in ipsa esca iudicium constituitur? Cur non minetur iudicium indignè manducanti, ut Sapient. 6. n. 6. Horrende, & cito apparebit, vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Cur ergo etiam indignè manducantibus Eucharisticum panem, futurum iudicium non minatur, sed in ipso pabulo iudicium inesse declarat, cum ergo in ipsa esca sit corpus, & sanguis Domini, non aliunde, sed ab ipsamet iudicium proditurum demonstratur. Donum hoc est ipsa Dei substantia, ergo non aliud, sed ipsamet rationem exquirat, iudicium constituit, atque contra delinquentem clamat, aeternum supplicium infligens D. Bernardus serm. 16. in Cantic. Instaurat, ait, aduersum me testes, ut alia innumera taceam huius corporis victum, & usum temporis huius, & super omnia sanguinem dilecti filij sui clamantem de terra. Et Balduinus in Alleg. Tilman. Quare iudicium sibi manducabat? Quia magis iudicem, quam saluatorem manducat, non diiudicans corpus Domini.

Non ab alio, sed ab ipsomet corpore Christi iudicium exquiratur. Bernard.

Balduin.

QUESTIO VIII.

Quare fidelis seruus se coram Domino rationem redditurus praesentat, non vocatus?

NON expectauit fidelis seruus, quod à Domino vocaretur, sed promptè se obtulit, ubi intellexit Dominum adesse: fiduciam illi praestabat fides, sedulitas, ac integritas conscientiae, ut rectè adnotauit Origenes tract. 33. in Matth. Fiducia fecit eum, ait, qui quinque talenta acceperat audere, ut ad Dominum prius accederet. Cum peregrinaretur Abrahamus, dixit Sarra fororem suam esse, quod cum audisset Rex Abimelech, tulit eam in domum suam, propterea veniens Deus nocte per somnum, ait illi, enmorieris, propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum. Quod cum intimum esset regi, obiicit ille diuino mandato: Domine num gentem ignorantem, & vitam interficies. Gen. c. 10. n. 4. Vnde quæso tanta fiducia prouenit regi? ad sui comminationem, ac damnationem declinandam, cum ei dictum fuisset, morieris propter mulierem; quomodo animum non deponit, sed tantas vires refumit? Accusationem constantissimè multa cum fiducia repulit ex testimonio bonae conscientiae, quo nitentur, non enim tetigerat eam, & ignoranter fecerat. Titelman. in cap. 11. Iob. Si tantum diligentiae, ait, studueris te ipsum ab omni peccato mundare, tunc poteris cum omni fiducia ad Deum faciem leuare, poteris sine confusione, sine rubore, & sine ullius peccati remorsu, aut conscientia coram Deo opponere, quem admodum cum quis bene lotus fuerit aqua ab omni macula corporali audent confidenter faciem suam ostendere, qui verò maculatam habet faciem erubescit eam in publicum ostentare. Vide multa verb. Conscientia, in Indice.

46. Conscientia bona dat confidentiam.

Gen. 20.

Titelman.

47.

Accessit bonus seruus, qui talenta Domini sui duplicauerat, absque petita ratione ad eam reddendam, nam puritas, ac innocentia, qua Domino obsequia praestiterat, vires, ac animum ministrauerat; sed iniquus seruus, qui talentum Domini sui absconderat, & foderat in terra, vnde illi tanta confidentia, ac securitas, ut non vocatus coram Domino etiam audeat comparere, ac stare; Accedens autem qui vnum talentum acceperat; sicut innocentia vires ingerebat fideli seruo, sic & impudentia, ac inuercundia animum dabat iniquo, ac infideli ministro, ut sicut alij se coram Domino praesentaret, ac exhiberet.

Innocentia dat vires infusis, improbia verò inuercundiam.

48.

In vltima cena ait Christus Dominus suis discipulis, quod vnus ex ipsis eum est traditurus, quo audito sancti Apostoli: Contristati valde coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine. Querit etiam & Iudas: Numquid ego sum Rabbi. Matth. 26. num. 25. Quod sancti Apostoli sic interrogarent valde decens erat; nam ut ait D. Hieronymus: Certè nouerant vndecim Apostoli, quod nihil tale contra Dominum cogitarent. At Iudas, qui proditorem machinauerat, & pactus erat pecuniam cum Iudæis, quod sic interroget, quomodo stare potest. Sicut sancti Apostoli sua animi puritate, ac sinceritate nitentur, ut nihil dubitantes interrogarent, sic & perfidus Iudas sua multa impudentia, temerariam concipit audaciam, & accedens interrogat.

Matth. 26.

Hieron. Apostoli ex puritate conscientia interrogant, Iudas ex impudentia.

Namquid

VERSIONES.

Syriacus. Dixit ei Dominus eius: bene serue bone & fidelis, in modico fidelis fuisti. Vat ablus. In paucis fuisti fidelis: multis te praeficiam. Arias. Ingredere in gaudium. D. Hieron. In requiem Domini tui.

EXPOSITIO IV.

T ait illi Dominus eius. Ipse Dominus fidelem seruum per seipsum laudat, & praemio afficit: infra verò inutilem seruum ministris puniendum committit. Ait enim: Inutilem seruum eycite in tenebras exteriores. Quod ponderauit D. Chrysostomus in acta homil. 43. Quando autem beneficiis opus est, seipsum benefactorum vocat, euge serue bone, & fidelis super multa te constituam: & hunc quidem ipse benedicit, illum autem malum non ipse, sed serui ligant. Et ait Dominus, euge. Seu ut habet Syriacus: Bene est. Vox est exultantis, lætantis, ac gratulantis: Serue bone, & fidelis. De tribus ut notat D. Thomas eum commendat. Primò de humilitate, cum dicit serue, cognoscebat se esse seruum. Secundò de bonitate, bone; quia propriè bonum est diffusiuum sui, hac bonitate suum amorem ac charitatem erga Dominum, & proximum ostendebat. Tertio, de fidelitate ait: & fidelis. Non proprium lucrum, sed Domini sui quærebat. Quomodo tamen vocat bonum seruum, cum ipse dicat: Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, serui inuiles sumus. Luc. 17. n. 10. Non ait, dicam vos inuiles, sed dicite: nos inuiles sumus, sedulitati humilitas adiiciatur; Domini est bonum seruum laudare; ad bonum autem seruum spectat, ut etiam in apice bonorum operum se inutilem existimet.

53.

Chrysost. Deu per se largitur beneficia.

D Thom. De tribus laudatur.

Luc. 17.

54.

valde laudabile quod alienam pecuniam manibus habet, & non coinquinerit.

Euthym.

Numquid ego sum, Rabbi? Euthymius: O impudentiam! ceteris interrogantibus, interrogat, & ipse confidens.

QUESTIO IX.

Quare bonus seruus duplicata talenta Domino offert?

50. PASCAL. D. ONVS seruus tam talenta accepta, quam lucrata Domino offert, & nihil sibi retinet, totum Domini est, quod bene à nobis fit. Questio praesens est, quare bonus seruus tempore reddenda rationis, non quodcumque lucrum in se inuenit, sed omnia talenta duplicata.

Respondet D. Paschal. lib. 11. in Matth. Hoc est, ait, de quinque talentis, alia quinque lucrari, cum in eisdem temporaliter operamur, ut per eosdem nosmetipsos exercitantes, & alios instruente ad maiorum virtutum culmina erigamus. Sicque duplicata omnia reportemus, tam in nobis, quam in proximis, ut de temporalibus aeterna, & de caducis semper manentia acquiramus. Duplicat bonus seruus omnia, quia in illis incubuit, quæ se, & alios ad salutem ducunt, ex proximorum bono comparato maxime duplicatur noster census.

50. Paschal. Ex procurata salute aliorum multiplicatur bona.

51. Post longum certamen, deperditisque omnibus rebus, ac etiam filiis, & propria salute restituitur Iob in suam antiquam felicitatem, forsitan ad hanc deuenit, cum eius eximia patientia paupertas, ac humilitas coram Deo praesentantur. Vide quæ narrat sacer textus. Dominus quoque conuersus ad penitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia, quae fuerunt Iob duplicata. Iob 42. num. 10. Tunc adduntur illi omnia duplicata, cum oraret ille pro amicis suis. Cum aliorum saluti proficit, tunc duplicantur illi omnia bona; negotiatio enim aliorum salutis, magna mercatura est ad bona propria multiplicanda. Caietanus: Cum oraret ille pro amicis, ait, habuit mererum habendi res duplices successu temporis.

Iob 42. Ex oratione pro amicis substantia Iob multiplicatur. Caietan.

52. Magno conuiuio excipit Ioseph fratres suos, & dum in mensa sedent omnes per ordinem, portio Benjamin, quintuplo maior extitit: Maiorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Gen. 43. n. 34. Cur Benjamin pars super ceteros sic est adaucta, ac multiplicata? Repraesentabatur in Benjamin Paulus, per quem sua praedicatione Christus Dominus aeterna vita, ac salus multis illuxit. Qui & de se dicebat. Abundantius illis omnibus laboravi. 1. Corinth. 15. n. 16. Et qui tam deditus est aliorum saluti, multiplicata mercedis parte fruitur, & gaudet. D. Ambros. lib. de Ioseph cap. 10. Laetit, ait, faciem suam Christus, ubi baptizatus est Paulus, per quem à pluribus videretur. Ideo in conuiuio pars eius quintupliciter maior effecta est: Expende per quem à pluribus videretur.

Gen. 43.

1. Cor. 15.

Matth. 25. Ait illi Dominus eius, euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Super pauca. Super parua dona tuae administrationi commissa; fuisti fidelis: bene eis, & cum fructu vsus es, non tua, sed Domini tui quærens. Et notandum, quod hic probus seruus semel tantum laudatur de bonitate. Serue bone: bis verò de fidelitate: Serue bone, & fidelis. Et iterum, super pauca fuisti fidelis. Talentum hoc traditum pecunia erat. Sic dicitur de seruo iniquo: Abscondit pecuniam Domini sui. Et iterum ait illi Dominus: Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis. Inde bonus seruus bis de fidelitate commendatur; & nil sanè magis laude dignum, quam quod homo pecuniam manibus agitet, & puritatem seruet, illamque sine illius diminutione conscientiam teneat: Super multa te constituam. In modico magnam fidem tuam inueni, nullo maiora tibi credam, ad maioraque te eleuabo. Ut tanquam cohæres mecum regnes in aeterna beatitudine. Nihil bonus seruus pro se petierat, tamen merita eius pro illo postulabant, praecipue cum seruire nulla pacta mercede, nec constituto praemio: Intra in gaudium Domini tui. Hoc est, perfructe eodem gaudio, quo Dominus tuus gaudet. Ex his patet expositio ad num. 22. & 23. de seruo, qui duo talenta acceperat.

**

QUESTIO

QUESTIO X.

Quare talenta tradita, pauca bona vocat Dominus?

55. IDELI seruo quinque talenta tradidit Dominus, quae magnam numerum efficiunt summam ut iam summam, ut iam notauit in exordio huius capituli; quomodo ergo ea pauca dicit, ac vocat: Super pauca fuisti fidelis.

56. Respondeo. Primo, quod tam diues est Deus in misericordia, tamque liberalis, ac beneficus, quod licet magna nobis largiatur, pauca tamen dedisse sibi videatur: Super pauca fuisti fidelis. Vide supra cap. 7. num. 75. 76. 77. & cap. 23. num. 27. & 28.

57. Secundo. D. Hieronymus. Notandum, ait, quod omnia, quae in presenti habemus, licet magna videantur, & plurima, tamen comparatione futurorum parua, & pauca sunt. Omnia, quae in presenti vita habentur, licet magna videantur, si tamen aeternis patriae bonis comparentur, tanquam nihil apparent. Vnde Origenes homil. 12. in Ierem. ponderans id, quod diues Auarus dicebat animae suae. Anima mea habes multa bona. Luc. 12. num. 19. sic ait: Frumentum, & vberitatem terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nesciens quia vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in caelestibus regionibus. Vnde merito stultus nuncupatus est: Stulte hac nocte.

58. Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimoni, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei. Exod. 34. num. 29. Vltima verba legunt Septuaginta: Glorificatus est aspectus cuius faciei eius. Chald. Multiplicatus est splendor gloria vultus sui. Alij ex Graeco: Radians esset facies eius. Paulus tamen de hac gloria Moysis loquens ait. 2. Corinth. 3. num. 10. Nec glorificatus est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam. Videntur haec pugnancia inter se. Nam Exodus affirmat faciem Moysis fuisse glorificatam, radiantem, ac splendentem. Apostolus vero expressè negat fuisse glorificatam: Nec glorificatus est. Quomodo haec cohaerent? Paulus non negat absolute fuisse glorificatam, sed comparatione facta ad Christi gloriam, illius nempe comparatione totius Moysis splendor, ac si non extitisset, sic disparuit, ut quasi nihilum videretur. D. Chrysostr. homil. 7. ibi, sic ait: Quanta sit excellentia scilicet Noui Testamenti, demonstrat dicens, si hanc illi comparo, ne gloria quidem veteris testamenti gloria sit, sic temperans sermonem, ut non simpliciter neget esse gloriam, sed duntaxat in ratione comparationis: eo quod subiicit, in hac parte, hoc est iuxta rationem collationis. Quod ad citatam epistolam explicat Theodoretus hoc exemplo. Lucerna lux in nocte videtur esse splendidissima; At in meridie occultatur, ut ne lux quidem existimetur.

59. De primis Christianis refert D. Lucas. Act. 4. num. 34. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Quomodo ad pedes huiusmodi terrena bona abiciebant, cum in tanta aestimatione apud multos habeantur, ut in anima collocen-

tur; sic dicebat Pharaos: Diuidam spolia, implebitur anima mea. Exod. 15. n. 9. & supra citatus Auarus dicebat: Anima mea habes multa bona. Terreni cum sint obcaecati nocte huius saeculi sic caduca diligunt, ut ea in anima constituent; At qui oculos ad Christum eleuant, ut erant primi Christiani, sic ex illius consideratione terrena vilescunt, ut tanquam nihil ad pedes proiciant. D. Hieronymus, tom. 1. Epistol. ad Paulinum. Quando, ait, Domini nostri, adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia carum, ad Apostolorum deserebant pedes, ut ostenderent pecunias esse calcandas, nihilque faciendas.

QUESTIO XI.

Quare fideli seruo dicitur, intra in gaudium Domini tui?

60. BTULIT bonus seruus quinque talenta lucrata & nihil pro se petierat, ut dixi in expositione, & tamen absque vlla cunctatione, Dominus assignat illi praemia. Deus suis nescit differre, ut notauit D. Chrysostr. de Lot recipiente sanctos Angelos Sodomis ad illa verba Gen. 19. n. 10. Ecce miserunt viri manum, & c. Vides, ait S. Doctor, quomodo ille iustus latini hospitii aluit accepit mercedem. Et huic fideli seruo ait Dominus super multa te constituam. Per haec talenta dignitates Ecclesiasticae intelliguntur, quomodo ergo pro praemio eis promittit, quod ad maiores dignitates, maioraque onera, & ad nouum laborem eos produceret, quia pro Deo laborare iustus praemium, magnaque eis merces est animarum luera querere.

61. Ait Dominus fideli seruo: Intra in gaudium Domini tui. Auget Imperfect. homil. 53. ait. Non dictum. Intra ad gaudium, sed intra in gaudium, possessor sui gaudij, non tantum spectator. Et notandum quod non ait, gaudium Domini tui descendat, seu intret in te, quia tam magna est plenitudo beatitudinis, ut ab hominis mente, quem beat. capi non possit, nec in ipso concludi, ideo ad denotandam quandam exuberantiam laetitiae dicitur: Intra in gaudium. D. Laurent. Iustin. Intra in gaudium Domini tui, non gaudium in ipsos, ait, sed ipsi in gaudium intrare dicuntur, ut omni ex parte laetitia exuberare noscantur. Caictan. Tam magnum, ait, est gaudium caelestis patriae de Deo, ut non possit concludi in homine, & ideo homo intrat in gaudium illum incomprehensibile: & non intrat gaudium illud in homine, velut comprehensum ab homine.

62. Cum inquit: Intra in gaudium Domini tui; ait Chrysostr. homil. 79. Vniuersam in hoc verbo monstrat beatitudinem. Idem docent communiter interpretes, D. Hieronymus, Euthym. Paschas. Albert. Magn. S. Thomas, & alij. Quae enim maior felicitas potest esse, quam quod seruus admittatur ad gaudium Domini sui; & haec pars explicat superiorem, nam intrare in gaudium Domini est super multa constitui.

63. Salmeyron ait, quod tacite hic promittitur, ut sancti certis in locis, quibus in vita laborarunt, in caelo à Deo perficiantur, ut ibi multis signis, ac miraculis resplendeant, hoc labore suo meruerunt; sic miracula operatur S. Antonius in Padua, S. Tharesia

S. Tharesia in Hispania, S. Andreas Cursinus in Florentia.

64. Richardus. Tertiò. Richardus lib. de exter. Mal. part. 3. cap. 11. Vtique, ait, esse quis neget, quos Dominus cibauit adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos: incunditatem enim, & exultationem thesaurifauit super eum: Animaduertitis (ut arbitror) quale sit etiam hunc lapidem inter ceteros possidere, qui sunt incunditatis melle, & satiat intrantem in gaudium Domini sui aeterna dulcedine. Per gaudium Domini sui Sacram Eucharistiam interpretatur, quam qui dignè accepit, vberimis gaudijs exundat, opulentaque laetitia, ac diuite suppellectili omnium caelestium donotum repletur; ita ut Deus incunditatem, & exultationem thesaurizauerit super eum.

65. Vltimò, maximè expendendum est: Intra in gaudium Domini tui. Non dixit: Intra in gaudium tuum, sed Domini tui. Electus ipsa beatitudine magno gaudio repletur, cum sempiterna voluptate afficiatur, tamen tam incredibili laetitia Deus de hominis bono, ac felicitate perfunditur, ut potiori iure Dei quam ipsius hominis gaudium ab ipso Domino nuncupetur. Quod notauit Theodoretus ad verba Pauli Hebraeorum 12. num. 2. de Christo loquentis. Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem. Sic ait: Seruatoris nostri gaudium est salus hominum.

66. Sapè in multis parabolis dies iudicij ab ipso Domino nuptiale festum appellatur, ut superiori cap. vidimus. Vbi anima sub nomine Virginum representantur occurrentes Christo Domino venienti ad iudicium, tanquam sponsa ad nuptias. Media nocte clamor factus, ecce sponsus venit. Et etiam Lucas 12. num. 36. Cum huius diei, à Domino peculiaris sit mentio dicitur, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando renouatur à nuptijs. Apud Reges, & principes nuptialis dies omnium gratissimus habetur. Cantic. 3. num. 11. de Salomone: In die desponsationis eius & in die laetitiae cordis illius. Dicitur ergo dies illa festiua, ac sollemnis Christo, quia in ea suis electis praemia largiturus adueniat. Vide supra cap. 26. n. 72. & cap. 22. n. 84. & c. 23. num. 38. & 39.

QUESTIO XII.

Quare tam seruo qui quinque talenta, quam illi, qui duo lucratus est, idem praemium assignatur?

67. VO accesserunt serui ad Patrem familias, vnus quinque talenta deferens, alius duo tantum ex sua negotiatione; Vtrumque enim Pater familias eisdem verbis excipit: Euge serue bone, & fidelis; quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Inaequalia luca obtulerunt, ut patet ex textu, & tamen aequalibus praemijs honorantur.

68. Optimè ad quaestionem respondet D. Hieronymus. Vtrique seruo, ait, & qui de quinque talentis, decem fecerat; & qui de duobus quatuor, idem Patris familias sermo blanditur, vtrumque simili recipit gaudio. Non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem. Non perpenditur quantum quis habuerit facultatis, aut quodnam munus administrauerit, sed quanta fide, ac vo-

luntate, & affectu erga Dominum vnus fuerit. Non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem.

69. Ob adoratum vitulum, cum de caede Idololatrarum reuerterentur Leuitae, beneuole affatus est eis Moyses, dicens: Consecratis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in fratre suo, ut detur vobis benedictio. Exod. 32. n. 29. Maximè extolluntur Leuitae, quod fratres, & filios in idololatriae supplicium, & in fidei, ac religionis obsequium iugulauerint; ex his tamen magna oritur difficultas, Nam ex Leuitis nemo videtur fuisse occisus: tum quia nemo illorum idololatrauit: & idcirco sola, ac tota Tribus Leuitica fuit in diuinum cultum consecrata, ut docet Abulensis ad hunc locum q. 35. Tum etiam, quia omnes Leuitae fuerunt interfectores, nam ad occidendos Idololatrias omnes conuocauit Moyses. Ait Textus. Congregati sunt ad eum omnes filij Leui, feceruntque iuxta sermonem Moysis. Ibidem n. 26. & 28. Quomodo ergo dicitur vnusquisque Leuitarum, filium suum, & fratrem suum occidisse? Licet reipla non occiderit, animo tamen paratus erat ad occidendum? Haec autem mentis promptitudo, non minùs praemij merebatur, quam ipsa operis executio: sola ergo voluntate occidendi filios, & fratres, ita manus suas consecrarunt, ac si reuera occidissent, vnde amplissimam benedictionem à Deo sunt assecuti. Abrahamus quamuis extenderet manum super puerum, reuera ipsum non immolauit, & tamen dicitur ei. Quia fecistis hanc rem, & non pepercistis filio tuo vnigenito propter me. Gen. 22. n. 16. Vbi voluntas facti pro ipso facto reputatur. D. Hieron. Epistol. ad Iulianum. Vnicum filium, ait, voluntate iugulauit. D. Chrysostr. homil. 47. in Genes. Considera, ait, Domini misericordiam. Non pepercisti, inquit filio tuo; At tamen viuum ipsum redacit. Non euentum considerat; sed voluntatem, qua faciebat mandata. Quantum enim ad voluntatem attinet, cruentauerat dexteram Patriarcha. Vide tom. 2. quaest. 18. n. 97. & tom. 3. cap. 10. quaest. 5. num. 35. & cap. 15. num. 204.

QUESTIO XIII.

De iniquo seruo.

70. ACCEDENS autem qui vnum talentum acceperat. Accessit non ex fiducia, sed ex impudentia, aut certe necessitate compulsus, & ideo postremo loco venit, nam iniquorum est moras necere, ac iudicium fugere: Scio quia homo durus es. At vnde hoc sciebas inique serue, cum nondum Dominum esses expertus, sed ex se talem Dominum pensit, qualis enim quis est, tales alios iudicat, qui segnior fuerat operando, lingua liberalior est, & qui debebat veniam petere, duris verbis contra Dominum insurgit. Ut notauit D. Hieron. Qui simpliciter, ait, inertiã debuit confiteri, & orare patrem familias veniam, è contrario calumniatur. Et addit seruus: metis, vbi non seminasti, & abscondi talentum tuum in terra. Ecce iniquus seruus contra se loquitur, & suis verbis se mendacem declarat. Nam dum ipse fatetur se accepisse talentum à Domino, siue velit, siue nolit, debet fateri Dominum non metere, vbi non seminavit. Abscondi in terra, ait, non inter lapides, vel